DEO OPT. MAX. VNI ET TRINO, VIRGINIQ; DEIPARÆ ET S. LVCÆ, ORTHODOXORVM MEDICORVM PATRONO.

QVÆSTIO MEDICA,

QVODLIBETARIIS DISPVTATIONIBVS MANE DISCVTIENDA IN SCHOLIS MEDICORVM, DIE IOVIS, XIII. IANVARII,

M. FRANCISCO MANDAT, Doctore Medico, Moderatore.

An Melancholiæ & Epilepsiæ mutuæ vices? 991.

MORBORVM vt non vna est indoles, ita nec vnus exitus: ad interitum non pauci, ad salutem plures deducunt: nunquam non ad alterutrum omnes. Et verò sicut ad vnam mortem multiplex patet via sic multiplex ab aduersâ valetudine ad secundam redirus. Quocumque modo dissoluatur morbus, fit quidem crisis: sed tum maximè cùm subitâ molesti humoris depulsione, eo penè momento defungitur æger. Atque hęc locum habet in morbis, sed admodum paucis: in leuioribus, quos facilè Natura superat nulla speranda: nulla & in longis, in quibus ad pugnam prouocata nunquam accedit: sed nec in malignis; quòd defecta viribus, sæpè in medio succumbat itinere. Solum ergo in iis est conspicua, quos aut citò extinguere, aut extingui necesse est. Et his quoque temporibus, quàm superioribus rarior: Ex quo nempe in subsidium Naturæ designati Medici, morbi fomitem ac veluti commeatum subducendo, res ægrorum dubio certamini committere non valde tutum iudicarunt: hinc iam multi quotidie periculo subtrahuntur, quos si veterum more vires cum morbo experiri patiaris, tanta profectò sit humanitas, quanta olim in Tyrannis qui hominem totis vsum lacertis, cum feris congredi compellebant.

CAVE interim salutis humanæ præsidem artem crisim moliri putes; est enim id singulare Naturæ opus, quâ repugnante nihil medicina proficiat, vigente verò feliciter interdum auxilia, etiam cum aliqua temeritate rapit, interdum quo superstes sit æger, impetum morbi trahendo, porrigit in id tempus quod præbeat curationi locum: prudens siquidem artifex crisim inhibere aut differre mauult, quàm periculosa festinatione, immaturam accersere. Est & vbi seu fiduciâ, seu desperatione victoriæ, perinde ac luctæ periti iudices, nihil aliud quàm prospicit & prædicit vter è luctatoribus sit victurus: si cui temerè habito malè res cadat, professoris, non artis crimen est. Vna itaque Natura quod primùm formauit corpus, sanat: & quemadmodum in fingendo, ita in sanando monstra nonnumquam producit. Cùm autem tritâ procedit viâ, si pollet robore, parentem morbi humorem, aut sudore digerit, aut hinc, inde è venis, aut denique vesicâ, vel quod tutiùs, aluo fusiore deponit, aliàs quidem vniuersùm, aliàs partitè. Quod si inopiâ virium, totam se nequit affatim expedire, sæpe viliorum partium damno, Principibus consulit: sæpe & ob contumacem materiam, obstructa meatuum itinera, prauam viuendi medendi-ve rationem; morbum non tam debellat, quàm mutat in alium, nunc mitiorem, nunc grauiorem, cum quo tamen aut subiecti, aut materiæ, aut certè vtriusque ratione consentit.

MELANCHOLIA non humoris, sed morbi nomen est, mentis nimirum alienatio, in quam qui incidunt, perpetuo metu ac mœrore perculsi, cogitant, obloquuntur, aut præstant absurda, & à consilio ratione que abhorrentia, hoc solo felices, quòd eâ imprimis parte valere se putant, qua laborant maximè: ægrè vt propterea ferant, si quem ferunt animo conceptum errorem tentes detrahere. Si febrem huic affectui negas vnquam esse coniunctam, non satis vides. Sub hoc ferme inexpugnabili morbo non vna est, rerum & symptomatum facies, sed varia pro cuiusque ægrotantis ingenio & moribus: alter assiduo & intempestiuo risu resoluitur: alteri vultum contrahit seueritas: iste nihil sibi quietis impertit: hic totum se tradit desidiæ: alius fandi non impotens, sed negligens obmutescit, alius effusè loquitur: Hic qui sanus penè humani modum excedebat ingenij, posset nunc cum pecudibus de stupiditate contendere: contra ille qui nuper vix habebat aliquid hominis morbi maleficiône, an beneficio? arcana Naturæ penetrat & explanat, quandoque etiam linguâ peregrinâ, nec ante notâ, futura nullo afflante præsagit: denique quasi corporis vitia nihil pertineant ad animam, ita se erigit, vt ea factis atque cogitatione assequatur, quæ dæmone digna, humano captu maiora credunt imperiti, & malè docti.

ROGAS quæ causa mentem sua sede dimoueat, vnâque vires corporis, exoluat? paucus sanè isque melancholicus humor, qui vti dum amicam Naturæ temperiem retinet, hominem rebus omnibus excellentem suprà mortalium conditionem euehit; sic vbi natiui caloris dominio non amplius subiacet, eò redigit ægrum, vt cum humana specie animum exuisse dicas; quasi videlicet æternâ lege sancitum sit, inde vt nascantur summa mala, vnde & summa bona. At is quoque prope pestifer humor vno plerumque partu monstrum edit biceps, & quos modò labefactato iudicij regno, vanis ludebat imaginibus; prorsus mente, sensu, voceque captos, ac velut de cælo tactos repente deijcit, inuito fœdiorum excrementorum effluuio miserandos. His iniuriis obnoxios esse illustres & heroïci viros ingenij, pridem vsu compertum est: Ita volente Naturâ, vt qui præ cæteris sapere solent (ne quid sibi temerè tribuant) aliquando desipere, aut planè mente destitui videantur. Patent tamen & Epilepticis insultibus tardioris ingenij homines, ex quibus nonnulli quùm in secundâ valetudine præstantium virorum famam consequi non valerent; ex portentosa ægritudine diuinitatis opinionem collegerunt.

QVANDO igitur Melancholiam & Epilepsiam communis alit causa; facilis ab altera in alteram transitus isque modò κατὰ μετάστασιν modò κατ᾽ ἐπιγένεσιν quippe vbi niger & fæculentus humor, fermenti more elatus, præcordia, venas, & arterias inflat, lentisque viscerum nutritiorum ignibus leuiter incalescit, immane quantum officit cordi, quàm multis cerebrum imbuit fumis, quibus spiritus inficit, offusáque toti domicilio mentis caligine, facit è nitidissima arce, atrum obscurumque carcerem, in quo qui non pauet, ac mœret, lucem odit, & vitam. His passibus itur ad Melancholiam, lene tormentum ægrorum, graue Medicorum. Ab eâ autem, quàm sit proximus ad Epilepsiam gradus, inde habes, quòd si corruptus & efferus humor, vel solus vapor quem halat ex intervallis, in id influat descendatque cerebri antrum, in quo recuduntur recens elaborati spiritus statim distendit ægrum testem locupletissimum Naturæ cum ipso luctantis. Ita ad Melancholiam accedit Epilepsia, quæ & istam discutit, quoties sparsus per cerebri substantiam humor aut vapor totum, se recipit in medium cerebri sinum, vnde & si valido naturæ conatu excutitur, certa presensque salus; modò ne quid eò mandent fœta prauo hoc succo viscera. Nonne vero & comitialis morbus par pari refert Melancholiæ? certè nihil procliuius quàm vt hanc aduocet tædio metuque cadendi: quæ duo, quoniam ęgrum perpetuò malè habent, tandem & Melancholicum reddunt: atque sic etiam in mentem repit qui Epilepsiam peperit humor.

Ergo Melancholiæ & Epilepsiæ mutuæ vices.

DOMINI DOCTORES DISPVTATVRI.

M. Ioann. Baptist. Moreau.	*M. Tussanus Foucault.*	*M. Nicolaus Mathieu.*
M. Eusebius Renaudot.	*M. Antonius Morand.*	*M. Carolus Dupré Pr. C. M.*
M. Isaacus Renaudot.	*M. Nicolaus Blanchet.*	*M. Petrus Hommets.*



Proponebat Lutetiæ IOANNES ANTONIVS BOVRGAVD Montisburgæus. A. R. S. H. M. DC. L.